

jure gesta contendit; justissimis de causis ad opem provinciis ferendam adductum: supplices ad se Belgas confugisse, opem ac patrocinium poposcisse; nihil magnis Principibus æque proprium esse, quam afflictis opitulari; neque eos, qui humi procumbentes illorum implorent auxilium, deferere, aut abjicere; in eo, quatenus mortali fas est, Deum Optimum Maximum imitantes, qui nihil sibi gratius esse, nihil efficacius mortalibus, quam ut miseris subvenirent, oppressosque sublevarent, significasset: ea de causa tantum impulsus ad preces ac voces miserorum audiendas proclinator fuisse: modo non sine gravi honoris existimationisque jactura deferere eos posse; si id faceret, indignam Principe notam in omnem posteritatem subiturum. Michaelius ut muneri nulla ex parte deesset, versare in omnes partes Alenconii animum adnixus, nihil impetrare potuit. Eundem exitum Nazareni Archiepiscopi, quem Pontifex in Belgium miserat, legatio habuit. Michaelius legatione functus in patriam revertitur.

Henricus per Ferrerium legatum de iis, quæ tum Hieronymus Lippomanus ordinarius, tum Michaelius extra ordinem legatus cum eo egerant, Senatui gratias egit; ac paulo post Hieronymum Gondium Venetias misit, qui principatum Pontio Regis, matris, Reginaeque conjugis nomine gratulatus, adjecit: se potissimum ab Henrico legatum ad Rempublicam fuisse, ut Patribus pro extraordinaria Michaelii ad se, Alenconiumque fratrem legatione gratias ageret; nihilque, ut fratrem a Belgico itinere averteret, omisisse, testaretur: pacem cum Catholico Rege servare sibi omnino statutum esse: quantum inde ad christianam rempublicam commodi manaret, Henricum nosse: quo christiano orbi eximiam voluntatem, egregiumque in commune bonum studium patefaceret, ut christiani Principes fratrem a suscepta sententia dimoveret, adnixum: nullis rationibus permoveri, nullis precibus flecti aut remorari obfirmatam mentem potuisse: cum decem tantummodo equitibus Alenconio ex aula digresso, edicto statim cavisse, ne quis Gallorum ad opem Belgis ferendam accederet: nihil demum, quo publica quies ac tranquillitas retineretur, quodque ab se requiri aut exoptari posset, unquam prætermisum. Gondio, uti Reipublicæ observantiam, vete-

*Hieronymus Gōdius
Henrici Regis orator
ad Venetos*